# OSTENDANA FRANCORUM CLADES, QUÂ SERENISS.O PRINCIPE...

F. : de Bock




BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
30 H
39


XVIII f 100 f 2

# OSTENDANA
## FRANCORVM CLADES,
quâ
SERENISS.º PRINCIPE
# IOANNE
# AVSTRIACO
FACIENTE,
Per tredecim menſes
Non minori detrimento, quàm ignominiâ,
CroMVeLIo Irato & DerIso,
MazarIno à fLanDrIs ILLVso,
naves, pecuniam, militem, honorem, & Flandriæ ſpem
ANGLIS CONIVNCTI
AMISERVNT FRANCI


Ex ipſa fermè tota
Cardinalis, & Protectoris
Autographis deſcripta.










# NARRATIO

## Cladis Francorum ad Ostendam.




ETSI de Francorum clade ad Ostendam multa mundus audivit, quia tamen præcipua rei pars plurimos latet: (tantis enim Ostendanâ spe dementati Franci per tredecim menses damnis affecti sunt, ut omnia, quibus postremo stratagematis die potiti sunt nostri, quæ certè maxima fuêre, illis tamen collata parva esse videantur) totius rei successum, & pleraque ex ipsorum tam Mazarini, quàm Cromwelij, & ab illis legatorum autographis, compendio





referre visum est, ut & Austriaci Principis vigilantia, & Flandrorum solertia ac fides Francorumque præsertim ignominiosa deceptio omnibus manifesta evadant.

SEBASTIANVS SPINDELERIVS Furnis in Flandriâ oriundus ob fortitudinem & præclara facinora in legionis peditum tribunum fuit promotus, cum quâ in Cataloniam profectus ita rem gessit, ut à Catholico Rege in Belgium amplâ cum virtutis commendatione remissus, non parva quoque præmia reportarit: qui cum aliquamdiu à reditu lite obortà (divinâ procul dubio providentiâ in grande aliquod bonum id vertente) quendam ordinum in Regia militia ductorem in sui defensionem vitâ exuisset, in confœderatas Provincias discedere compulsus fuit.

Quo priusquam abiret Franciscum

Boc-

Bockium I. V. Licentiatum accersivit, eique suam exteris in Regionibus fortunam faciendi mentem aperuit, atque pecuniæ subsidium rogavit. Quo præstito, Spindelerium, ut Regi suo præ omnibus fidem servaret, Bockius adhortatus, & illi veniam delicti petiturum pollicitus est. Ut verò hoc tam subsidium, quàm consilium præstaret, movebat Bockium insignis, & sæpè in navalibus probata rebus Spindelerij solertia, & intrepida in vitæ corporisque periculis fortitudo.

Aliqua jam à recessu Spindelerij elapsâ morâ, Cardinalis Mazarinus ignominiosam illam, quâ mense Junio anni millesimi sexcentesimi quadragesimi octavi Marchio Sfondratus Francos affecerat, cladem resarciendi consilium cepit. Quod cum Mareschalco Estradio, & Comiti Ser-

viento significasset, Francum quendam, cui Gentilotto cognomen, ex Hollandiâ, ubi legionem Francicam, quam Estradius in Confœderatas Provincias adduxerat, legatus jamdudum administrabat, Lutetiam Parisiorum evocavit.

Legatus hic iteratis vicibus tamquam Confœderatarum Provinciarum incola Ostendæ fuit, cumque bellicarum munitionum egregiè peritus esset, eâ parte, quæ ad Orientem est, oppidum facilè capi posse animadvertit, ad conficiendam rem commodissimo diversorio quodam, quod Almarazius Ostendanus olim Gubernator producto longè in mænium aquas ædificio extruxerat.

His Cardinali expositis, accidit ut Livinus quidam Ittersonius Guisleni frater res suas curaturus Parisios veniret; quod cùm rescisset Cardinalis,

Livino ad se accersito exposuit fratrem ejus Guislenum anno 1648. ad intercipiendam Ostendam stratagema quoddam excogitasse, atque illud, non Guisleni, sed Mareschalci Ransavij, aliorumque qui Francorum copias ducebant, culpâ negligentiaque frustrà fuisse. Aliud igitur se in præfatum oppidum stratagema meditari asserit; atque ex Livino, an quempiam ad hoc opus aptum fidumque noverit, sciscitatur.

Livinus, qui non animo minus, quàm opere fidem Hispano Regi integram servàrat, ob atrox ac detestandum fratris Guisleni facinus Dunckercâ, Regijsque in Belgio provinciis extorris, quamquam maximâ, ut in patriam rediret, curâ ac sollicitudine anniteretur, & nullam exilii relaxationem impetrare eatenùs potuisset, hâc Cardinalis mente detectâ,

magnum inde Catholico Regi obſequium demonſtrare propoſuit.


Simulans itaque totum ſe à Mazarino ſtare & Hiſpanos pertæſum, Cardinali Spindelerium pari affectum tœdio opus propoſitum ad deſideratum finem aptiſſimè perducturum eſſe retulit; etſi interim Livinus, qui Spindelerium in Zelandia convenerat, eum inſigni aliquo pro Rege edito facinore reditum in patriam moliri non ignoraret.

Horum à Livino monitus, ac Lutetiam Pariſiorum evocatus Cardinalem adiit Spindelerius. Ibique cum Eſtradio & Serviento de novo illo ſtratagemate crebros ſermones habuit: ac tandem totius rei conducendæ negotio in ſe ſuſcepto, à Cardinale Londinum ad Cromuelium juſſus eſt proficiſci; ac cum eo, ejuſque militiæ præfectis Scipponio & Lamberto

berto sæpè congressus cùm esset, tam Protectori quàm Cardinali, ut quamprimùm opus procederet, visum fuit. Inter cetera verò causam, cur ab Hispanis discessisset, percunctanti Protectori, cùm Spindelerius denegatam homicidij in propriæ vitæ defensionem perpetrati condonationem respondisset, veniam se illi plenamq; omnium indulgentiam elargiri dixit Protector; & tantâ quidem istud authoritatis potestatisque specie, ac si omnium Hispani Regis ditionum jam tum imperio potiretur. Adeò sui incapax ambitio in alienum jus se extendit.

Cùm jam in hunc omnia finem præparantur, & sufficiens militum numerus cum Flandricis, quæ ob vadosam maris oram subtùs ad carinam plana sunt, navigijs instruuntur, reversus in Zelandiam Spindelerius





è veſtigio præfatum Bockium ad ſe vocavit, maximi aſſerens momenti res indicandas illi ſe habere, & ut quàm citiſſimè veniret, per litteras rogans.

Spindelerij interim Lutetiam & Londinum diſceſſus, & continua ibidem per aliquot menſes mora magnam Belgis ſollicitudinem moverat, & tanto quidem majorem, quod ad Bruxellenſem Aulam multa de Spindelerii cum Cardinale & Protectore congreſſibus ſcripta eſſent; ex quo illum in maritima Flandriæ oppida moliri in ſuſpicionem venit, adeò ut cùm hæc paullò antequam ad bellum anno 1657. procederetur, acta eſſent, non parum animi ſuſpenſos militiæ noſtræ Duces habuerint, atque hanc ob cauſam deſtinatum Flandriæ præſidium tribus militum millibus auctum ſit, & Marchioni

Ledio



Ledio, ceterisque limitum Præfectis, ut in Spindelerii machinationes maturè adverterent, Serenissimus Princeps Ioannes Austriacus demandârit.

Bockius jam præfatas illas Spindelerij litteras statim ùt recepit, Marchioni Ledio commonstravit, qui eis summoperè gavisus, Bockium in Zelandiam festinare jussit, ubi Cardinalis ac Protectoris animum à Spindelerio edoctus est, simul cum exactâ omnium designatione, quo loco & modo res conficienda esset, offerente Spindelerio ut de die convenirent, quo Hispanis ad nihil imparatis, insigni aliquâ strage hostis affici posset.

Diligenti totius rei Serenissimo Principi Austriaco narratione transmissâ, remediis etiam quibus illud stratagema, si minus placeret, impediri posset, annotatis, Bockius ut

Barnabam Bergaſium urbis præfe-ctum de his conveniret, in mandatis accepit. Ille ſummum hic periculum animadvertens & ſtrategematis ab hoſte conficiendi facilitatem confeſ-ſus, mox ne unius quidem diëi inter-poſitâ morâ, præfatum diverſorium deijci, novas portas erigi, ligneas poni ſepes, & militum receptacula conſtrui fecit, hoſteſque non in præ-ſens modo, ſed omni etiam in futu-rum ſimili ſpe fruſtratus eſt.

Mutatio verò hæc magnam in eo-rum, qui Cardinalis & Protectoris in Zelandia res agebant, animis mu-tationem fecit; cumque omnes ſuos conatus evanuiſſe cernerent, ſuis quiſque dominis, machinationes ir-ritas, conſilium proditum, ſpem ſuc-ciſam retulere.

Verum antequam Mazarini in Zelandia legatus detectæ fraudis

Car-

Cardinalem admonuit, ad Spindelerium Slusam veniens, desperati eventus querelas deposuit plurimas: quem consolatus Spindelerius aliam sibi rationem suppetere dixit, quâ Ostendam Cardinali certissimè, & sine ullâ præviâ pecuniæ expensâ, sine unius militis amissione traditurus esset.

Et Bockio rursus ad se vocato, ab Austriaco Principe, num Cardinalem spe Ostendæ per rebellionem tradendæ ultrà fallere consultum videretur, peti curavit. Quod ubi placitum sibi indicavit Austriacus, fictæ cujusdam rebellionis problema, & apparens argumentum Spindelerius cum Bockio conceperunt.

Proponebatur quod Ostendę duę Wallonum centuriæ præsidio essent sub centurionibus Hornio & Snyërio, quæ junctæ cum aliâ sub centurione Simone Sprutio, brevi adventurâ,

turæ, quadringentis sub rebellionis tempus militibus constarent, quod hi centuriones ob non persolutum stipendium Hispani obsequii pertæsi essent, quod suis sub signis milites multo jam tempore privatis expensis eâ conditione habuissent, ut centurionum quamcumque voluntatem prosequerentur, quod pauci admodum Hispani Ostendę pręsidio essent, quod multi honesto apud suos loco, octodecim non pauciores, tam ne bonis excedant, quàm Hispanorum maximè odio, ad spem pecuniæ & remunerationis sese darent, quod hi octodecim gratiâ & potentia apud cives valerent, quodque, si à Franciæ Rege honestas impetrarent conditiones, cives omnes huic causæ libentissimè faverent, quod nulla præsertim pecunia prius expeteretur, quàm Cardinalis de tradita Spindele-

rio

rio civitate securus esset, quod auxiliares Francorum copiæ, quas ante Ostendanum portum paratas esse oporteret, non nisi de prædictá securitate certæ, adesse deberent.

Austriaco in hæc assenso, atque ut præfatorum Snyërij & Hornij, quamvis nescientium, nominibus uti liceret, permittente, illi de quibus antè mentio facta est, in Zelandia Mazarini negotia curantes Cardinalem hanc ob causam adierunt, statimque reversi, Eminentiæ Suæ apprimè rem placere, magno cum gaudio, ingentes & opes, & honores promittentes, Spindelerio renunciarunt, ipsos tamen centuriones per se adesse petiverunt, quo Cardinalem de rei successu redderent certiorem.

Ut hâc in re illis pro Mazarino agentibus fieret satis, duo militarem præ se ferentes speciem,

prom-

promptæque eloquentiæ, ac de omnibus bene instructi, & cum illis suprà nominatus Simon Sprutius adfuerunt, qui ita illis, qui pro Mazarino rem agebant, placuerunt, ut statim futuræ seditionis certitudinem, & nullam restare dubitationem Cardinali asseruerint.

Ita igitur inter illos convenit, ut omnes in posterum epistolæ, Spindelerio & Mazarini legatis, per Iurisconsultum quendam, tanquam conjurationis directorem, de quo ante, Franciscum Bockium, sed apud Francos hoc in negotio Ægidium Stapinũ fictè cognominatum scriberentur. In hâc quoque conventione ad Cardinalem datis litteris protectionem & patrocinium ejus implorabant, tam à Spindelerio, Sprutio, quàm ab ijs, qui Hornij & Snyerij personas agebant subscriptis.

Aderat

Aderat Snyerij nomine Albertus Winterius Spindelerij affinis, qui in omnibus posteà gestis coram Mazarini & Cromwelij legatis pręsens fuit, quique ad rem gerendam peridoneus, ad hostilem cladem pars fuit non parva.

Cum jam Mommedio & S.ti Venandi oppido ab hoste captis, Vicecomes Turenius Watenas in Casletano territorio cum exercitu venisset, suis in Zelandiâ legatis, promissæ rebellionis inchoandæ jam tēpus esse, ut omnem inde occuparet Flandriā, Cardinalis significavit. A quibus hæc Slusæ edoctus Spindelerius, confestim per destinatum eâ de re nuncium, Bockium, cui deindè apud Francos Ægidij Stapinij cognomen, & hic Principem Austriacum certiorem effecit. Verum ut Spindelerio rei tunc conficiēdæ impossibilitatem

Stapinius per litteras significaret, Serenissimo Principi visum fuit, prætextâ duorum millium rusticorum ex Francorum metu fugâ in oppidum; rogare adeò, atque ut nulla in Flandriam ulterior expeditio fieret, enixè Cardinalem obsecrare Confœderatos; ne dum ex agris in oppida omnes fugiunt, Ostendana rebellio difficilior evadat: inhiberet insuper Turenio Cardinalis, ne Lincam, Mardicam, aut Bergas, similiaque non magni momenti loca occupando Exercitum & occasionem perdat, cum Ostendâ captâ omnia hæc ultrò in manus ventura, & ab Hispanis deserenda sint. Rogabat denique Stapinius, ut Vicecomes Turenius militem sub bonâ disciplinâ in castris contineret, in eum, ut prætendebat, finem, ut omnes qui ex agris Ostendam confluxerant, securi domum tenderent.

Episto-

Epiſtola hæc, Spindelerio Stapinioque adnitentibus, per nobilem quendam hanc ob cauſſam miſſum Cardinali exhibita, tantum apud eum valuit, ut Turenio ſtatim, ne caſtra moveret, inhibitum ſit. Et experientâ teſte compertum eſt ſex integras hebdomadas Watenis non ſine omnium, qui militiæ gnari, & arcani hujus conſilij ignari erant, admiratione ſummâ Turenium ſubſtitiſſe.

Interea Mazarinus pluribus ad eos, quos in Zelandiam res ſuas curaturos miſerat, datis litteris, inſtantiſſimè Oſtendæ traditionem urgebat. Quamobrem quater, ut Stapinium commonefaceret, Spindelerius litteras dedit; aſt nullo ob viarum nunciorumque incertitudinem reſponſo accepto, & ſe tamen premi videns (cum per liberi commeatus litteras ab Auſtriaco Principe conceſſas tutus ei pateret in Bel-

gium aditus, hâc adjunctâ conditione, ut ubique, locorum præfectis se exhiberet) Brugas ipse proficisci decrevit, de Stapinio illic inquisiturus: ea interim specie deceptis omnibus pro Cardinale agentibus, quasi cum reliquis conjuratis de opportuno ad rebellionem die iret conventurus.

Sed istud hic per incommodum accidit, ut nullus tunc Brugis Præfectus esset: quapropter Spindelerius Ognatum Franconatus Consulem, tum quod è præcipuis esset, tum quod Stapinio amicissimum nosset, accersiri fecit.

At Ognatus, qui Spindelerium Regis sui proditorem, tam ex publicâ famâ, quàm ex quibusdam, ab exploratoribus, quos hâc de causâ Slusis alebat, ad Cromwelium datis, interceptisque litteris, atque ad Marchionem Caracenam transmissis, suspicabatur, lau-
dabili

dabili utique studio, nec non ob recens à Marchione transmissum mandatum, ut in explorando pergeret, incitatus, eum non, ut rogarat, in fiduciâ conventurus accessit, sed Brugensi Magistratui detulit, qui cum justitiæ administris, & assumptis aliquot ex Megenij Comitis legione centurionibus, Spindelerium protestantem & publicam Austriaci fidem, reciprocasque ab Stapinio litteras nequidquam obtestantem, captivum in ædes Franconatus abduxerunt. Ita sæpe nihil aut damnare, aut probare tutò possumus cæci mortales.

Spindelerius non parum anxius secretum, ne detentio detrimento foret, Ognato aperire contendit: sed eo recusante, demum per Magistratum Brugensem ad hoc delegatis scribâ de Blende & prædicto Ognato totum strategema, nequidquam factum serius

rius deplorantibus, revelavit.

Velox inde per omnem regionem ſparſus rumor, proditorem Spindeleriũ captivum teneri, Mazarini legatos vehementer afflixit, ita ut deſperato eventu Comitem Charravium Caleti Præfectum, & hic Vicecomitem Turenium Watenis adhuc ſe continentem, miſſis ea de cauſa nuncijs fecerint certiores.

Nec vero Brugenſis Magiſtratus & Ognatus de capto Spindelerio, ac Franciæ Regis ſalvo conductu penes eum invento, Marchioni Caracenæ quam celerrimè mittere nuncium neglexerunt; qui non parum hinc conturbatus confeſtim ijs ſcripſit, laudabiliter quidem eos Spindelerium detineri curaviſſe, ſed ne id ad Regiæ Majeſtatis detrimentum vergeret, velle ſe, ut eum in priſtinum ſtatum referant, ope Stapinij ad hoc Brugas miſſi, ut quid-

quid

quid hic consultum duceret, non minus, quam si ab ipsa Serenissima Celsitudine proveniret, ratum haberent.

Stapinius autem jussus Brugas Ostendâ petere cum Præfecto acturus, Neoporti horâ nonâ vespertinâ conducto curru, ut Ostendæ ipsâ nocte esset, non procul à Middelkercâ magnam armatorum rusticorum manum offendit, illuc pridie à Franconatu missam, ob rumorem de Anglis in Neoportum molientibus, & eo loci exscensuris: quamobrem ulli, nisi tesseram danti militarem, per maritimam oram transitum dari vetitum fuerat.

Hinc Stapinium horum ignarum, cum in illos incidisset, tesseram rogatum, & ignorantem, vitâ spoliare constituunt, & sex in illum tensis sclopis, ipsum certissimè proditorem asserunt, & parvâ, ut morti se comparet, datâ morâ, moriendum esse dicunt.

In extremâ hâc anxietate Ser. Principis litteras profert, atque ut ad præcipuum aliquem illorum ductorem examinandus ducatur postulat, &, si inquit, proditor sum ego, bene vobis erit, per quos proditio detecta fuerit: at si non sum, quid Regis obsequium prohibere vultis? Vnus hîc præ cæteris ardentior illam sclopi partem, quâ densissimus est, Stapinio impingit. Post multas denuùm preces à littore mediæ circiter horæ itinere ad Blommium quendam Franconatus Senatorem abducitur, cui funesto hoc casu exposito, ipse, qui Spindelerium liberatum ibat, liberatur, & quasi prodigiosâ Numinis ope vitam conservat.

Vt Ostendam venit, ne nimia hæc perturbatio peius aliquid gigneret, venam incidi jussit, & manè horâ quartâ Brugas discedens, omnes illic rei conscios arcani Sacramento adegit, &

Spin-

Spindelerio è carcere dimiſſo, atque ad Auſtriacum curru de nocte Dunckercam ſecretè deducto, aſtu illum evaſiſſe Ognatus in vulgus ſparſit: Turenius interim de Oſtendâ, capto Spindelerio, deſperans, abſque alio ab Aula mandato, motis caſtris, & circa Mardicanum munimentum poſitis, paucis poſt diebus illud obtinuit.

Dum hæc aguntur, in Zelandiã reverſus, Cardinalis legatos ſine mora adijt Spindelerius, & fortunatam è carcere evaſionem recitavit, omnes ad ſe confœderatos Brugas veniſſe, & eorum ſe nomine litteras, quibus nunc magis, quam unquam de rebellione ſecurus eſſet, ab Stapinio attuliſſe; omni eos momento ad opus paratos, dummodo Turenius ab ulteriori in Flandriam invaſione abſtineret, quæ indubiè majoris præſidij Oſtendam inducendi occaſio eſſet,

quapropter Cardinalem, si Turenio mander, ut discedat, perquam bene facturum aiebat, maximi Ostendam fieri debere, & ab illâ totam pendêre Flandriam, omni ratione demonstrans.

Et tantum Spindelerij apud illos consilium valuit, ut quas à Stapinio fuisse diximus litteras, transmiserint Cardinali. Quibus ille acceptis, Turenio, aut Mardicam, si capta non esset, deserere, aut eâ captâ exercitum ultra flumen Aam deportare statim mandavit. Neque segnius Cardinalis jussis Turenius obtemperavit: nam, etsi pluvioso & tempestuoso cęlo, exercitũ, sed imminutum abduxit, hærentibus in cœno plus quàm mille vehiculis, & bis mille militibus cum tormentis aliquot bellicis amissis.

Cardinalis ubi hæc rescivit, absque ullâ morâ suis in Zelandiâ legatis per litteras significavit, quas Spindelerius

Sta-

Stapinio, & hic Austriaco transmisit. Scribebat hîc Cardinalis æquum jam esse, cùm ad Spindelerij, sociorumque ejus petitionem exercitum abduxisset, ut ne ulteriùs proposita rebellio differatur. Ingentes insuper pecuniæ, aliorumque, si quamprimùm fieret, pollicitationes addebat.

Cognito tamen Ser. Austriaci Principis desiderio, ut Cardinalis fraude aliquâ retardaretur, per novas conjuratorum nomine litteras Mazarini legatis significavit Stapinius, omnia expedita, ac liberationem præstolari, & de propinquo tempore plurimum se lætari, sed unum dumtaxat conatibus incommodum obstare. Britannicis quippè navibus Ostendanum portum occludi, & Protectorem cogitati quidem ab initio strâtegematis conscium fuisse, prætentam tamen rebellionem ignorare; ubi à mari tamen Francicis

navi-

navibus rem agi oporteret: quas, ut apparebat, aut invaderent Angli, aut impedirent, nisi liberi commeatus à Protectore litteras Cardinalis impetrasset; quas facillimè ob arctam inter utrumque societatem obtenturus videbatur: neque conjuratos antequam huic prospectum esset incommodo, vitam discrimini daturos.

Epistola hæc per Payenum quendam Francicum Dorovernij concionarem Mazarino missa, quod admonitio verisimillima videretur, acceptissima fuit, adeò ut præfatum Payenum confestim cum litteris ad Bordæum Francicum Londini legatum, qui desideratas peteret liberi commeatûs litteras, Cardinalis dimiserit.

At Cromwelius quo fine in Ostendanum portum, strategemate jam eluso,

ſo, Francorum naves tenderent, comprehendere non valens, & fraudem adeò ſuſpicatus, petitum, niſi veritate detectâ, tam citò noluit concedere commeatum. Occultè itaque Payenum ad ſe accerſitum, multa pollicitus; quid lateret interrogavit, & re compertâ, Oſtendanam illam rebellionem in Britannicæ Reipub. commodum vertere cum Payeno conſtituit.

Atque iſte Anglicâ navi cum triginta tormentis bellicis inſtructâ in Zelandiam delatus, omiſſis Mazarini legatis Sluſam occultus venit, & fidei, facultatisque ſuæ litteris Spindelerio commonſtratis, Cromwelium præ Mazarino pecuniâ pollere, & liberalius Spindelerium, cæteroſque remunerari poſſe, inculcabat. Cui Spindelerius, noua hæc ſine Stapinij & conjura-

Cardinali rem indicavit, qui illum, ut commeatum indulgeret, & à proposito desisteret, minis terruit.

Payenus itaque Protectoris ardorem remisisse considerans, se tam lentæ cum Protectore negotiationis tædere, &, Mazarini rursum legatis si adhæreret, benefacturum, Spindelerio scripsit.

Illi quoque tunc recens à Mazarino Spindelerium adire jussi, indultum commeatum, & omnem inde metum conjuratis exemptum referentes, ut diu promissa rebellio quantocyus in opus deduceretur, denuo postulabant.

Horum per Stapinium gnarus Austriacus, hieme procedente aliam, quâ diutius Mazarini animum suspensum haberet, adeoque instantis æstatis initio prævaleret; rationem excogitavit.

Quibusdam scilicet à Mazarino articu-

ticulis, quos tam à Rege, quam à Cardinale ſignari peterent conjurati, ſcripto exhibitis, quos ipſe, ita ut ſequuntur, Auſtriacus Princeps ſuggeſſit.



Arti-

# Articuli de ſuperando atq; Christianiſſimo Franciæ Regi, & Eminentiſſimo Cardinali Mazarino tradendo oppido & munimento Oſtendano per Tribunum Spindelerium, tam ſuo, quam Confœderatorum nomine, propoſiti.

*VT curet ſua prænominata Majeſtas ſeptingentos aut octingentos validos forteſque milites in naves imponi, prædicto oppido, cum præfatus Spindelerius id petiverit, ad ſignum quoddam, de quo utrumque convenerit, inducendos.*

*Vt naves & ſcaphæ, quibus dicti*

 *milites*

*milites imponendi sunt, tormento bellico exploso, tamquam confectæ rei signo, & nautâ quodam ex oppido misso, quo prædictæ suæ Majestati securius locus addicatur, portum ingrediantur.*

*Vt Dominus de Raminiacq; tamquam militaris campi (ut vocant) Mareschalcus, juxta regios codicillos, illos septingētos aut octingentos milites ducat, statimque ut in portu fuerit, Tribuno Spindelerio ducentorum millium florenorum summam tradat, tam militibus, quam militum ductoribus, qui rem confecerint, distribuendam.*

*Vt prædicti septingenti aut octingenti viri in prædictum locum sine morâ intromittantur, militaribus munijs in supradictæ suæ Majestatis obsequium cum ijs, qui opus aggressi fuerint, functuri, & à præfatis Domino Raminiacquio & Spindelerio ducendi.*

*Vt absolutam, prædicti oppidi, & adjacen-*

*jacentium munimentorum præfecturam gerat Tribunus Spindelerius, donec sua prædicta Majestas alia quadringenta florenorum millia in manus Spindelerij numeranda, & tam illi, quam alijs confœderatis operis auctoribus distribuenda in oppidum miserit, atque ut tunc prædicto Raminiacquio pro suâ prænominatâ Majestate locum tradat Spindelerius.*

*Vt omnes prædicti oppidi cives in Catholica Apostolica Romana fide conserventur, sine ullius templi, vel hæreticorum, vel heterodoxæ congregationis admissione.*

*Vt omnes præfati oppidi cives à suâ Majestate in omnibus privilegijs, juribus & immunitatibus à Catholico Hispaniarum Rege in præsens concessis conserventur, & bonorum ac mobilium suorum, & quæcumque ad eos pertinent, tam extra, quam intra præfati oppidi districtum, singuli cives proprium dominium retineant.*

*Vt omnes hi Articuli de puncto ad punctum publicari, atque præfati oppidi civibus legenda, in omnibus loci angulis, & ad curiam, statim ac res ad opus deducetur, præfatæ suæ Majestatis nomine proponi, & affigi queant.*

*Vt omnes operis Auctores à præfato Spindelerio nominandi, in Galliam, ad loca Franciciæ Coronæ subjecta, liberam habeant secedendi facultatem, ibique omnium, tam quæ imposita, quam quæ umquā subditis imponenda sunt, vectigalium & tributorum immunes degant. A recipiendis militibus, & ab excubijs, tam nocturnis, quam diurnis, in limitaneis locis perpetuò sint exempti. Quibus privilegijs & immunitatibus, tam eorum utriusque sexus liberi, quam nepotes ab operis hujus authoribus procreati, fruantur.*

*Vt si Hispani & inimici domos, villas, aut prætenti operis authorum bona quævis in Belgio demoliantur, incendant, aut destru-*

*destruant, omnia hæc reparentur atque in integrum, quam primum prædicta sua Majestas loca & oppida, in quorum ditionibus prædicta bona fuerint, suæ subjecerit potestati, ex ærario restituantur, nisi prædictos authores, viduas eorum, & liberos, æquivalentibus bonis compensare prædictæ suæ Majestati potius visum fuerit.*

*Vt præfati operis authores functionum dignitatumque in Franciæ Regno, subiectisque illi regionibus sint capaces, utque illis in hunc finem litteræ, quibus in regni indigenas adsciscantur, à Rege subscriptæ concedantur.*

*Vt demùm sua Majestas ultra sexcenta florenorum millia, de quibus jam mentio facta est, ducenta insuper millia Ioanni Gerardo, aut cui is voluerit, tradat. Vtque hæc Regia Majestas suâ syngraphâ firmet, cum sine illa rem perficere Authores non queant.*

Stapinius cum his articulis in Zelandiam profectus epiſtolam ad Mazarini legatos confœderatorum nomine dedit, quibus, cum jam de rebellione certa eſſent omnia, decere etiam adſtruebat, ut tanti momenti locus non ſine ipſius Regis de pecuniâ, congruiſque conditionibus, aſſertione traderetur. Verum hi prima fronte articuli Mazarino, illos ab octo jam menſibus, cùm primùm res inchoata eſſet, proponendos fuiſſe dicenti, diſplicere videbantur: at nihilominus, quoniam ex illis bonam Spindelerij fidem conſtare apparebat, duobus pòſt menſibus eoſdem à Mareſchalco Aumontio ſignatos, ſimul cum Regij mandati diplomate hîc inſerto Spindelerius obtinuit.

EXEM-

EXEMPLAR

REGII DIPLOMATIS.

Charo & perdilecto noſtro, Domino Aumontio, Franciæ Mareſchalco, nobis à conſilio ſtatus, ordinis noſtri equiti, cuſtodum corporis noſtri præfecto, noſtrorum, civitatis, caſtri, & ditionis Bononienſis Gubernatori, ſalutem.

CVm ab aliquibus Coronæ noſtræ benè affectis, de nonnullis inſtructi ſimus ſtrategematis cujuſdam rationibus, cujus proſper eventus

tus in noſtrum ac rerum noſtrarum emolumentum cederet: cumque de conditionibus, & remuneratione, cum ijs, qui opus aggreſſuri ſunt, convenire nos oporteat, non potuiſſe nos de aliquo, qui in ijs, quæ pro noſtro obſequio gerenda eſſent, dignius te, & utilius ageret, ob bonam de tuâ aptitudine, experientiâ, prudentiâ, & in rebus agendis dexteritate, notitiam, magis ſecuros eſſe duximus, adeoque commiſimus tibi & deputavimus, committimus & deputamus, per præſentes haſce manu noſtrâ ſignatas, ut attendas, conſideres, & examines quæcumque tibi de ſtrategemate quodam proponenda, ut in bonum & commodum noſtrũ cedant, & ſi fieri poſſe judicaveris, de modo, quo illud ad opus deduci oporteat, convenias, & decernas, milites & quibuſcumque opus fuerit, im-

impendas, belli commeatum & annonam, omniaque ad rem necessaria expediri cures, cum rei authoribus, de remuneratione tam eorum, quàm omnium, quos ad opus impenderint, ad quantamcumque pecuniæ summam illa ascenderet, secundum quod obsequij nobis præstandi quantitati convenire censueris, convenias, transigas, & signes omnes obligationes, promissiones, scripta, ad dictæ remunerationis & executionis omnium, quæ tu expedire judicaveris, securitatem præstandam, ex nobis, hæc faciendi omnem facultatem, authoritatem, & speciale mandatum damus; tibi per has supradictas, & Regiâ fide, acceptum, firmum ac stabile habituros, & executuros, atque exequi curaturos, accuratè, & inviolabiliter, quodcumque per te decretum, conventum, ac promissum

noſtro nomine fuerit, eo tempore, formâ, & modo, quo tu conveneris, promittimus. Nam ita nobis placet. Datum Lutetiæ Pariſiorum ſub Sigillo noſtro privato, quintâ Aprilis, anno 1658. Signatum erat: LVDOVICVS, & paulò infrà, Per Regem, Detellier, & ſigillum regium appenſum erat.

Ipſe ergò Aumontius ingentibus Mazarini promittentis, ſi optatum res ſortiretur eventum, Ducem & Parem Franciæ eum creandum, atque in Bononienſi præfecturâ filium ejus ſucceſſurum, pollicitationibus allectus, per ſe opus aggredi ſtatuit.

Poſtquam autem præfatum diploma Regium, ſibi à Spindelerio tranſmiſſum aliquamdiu apud ſe Auſtriacus habuiſſet, ulterior Mazarini legatis mora eo fine injecta eſt, ut initio futuræ militiæ prævaleremus, dum

dum Simonis Sprutij cohortem necdum Ostendam venisse, sed brevi venturam, atque statim inde diem rebellioni statuendum esse prætenditur.

Et cùm, sicut suprà narratum est, tres illos centuriones, Hornium, Snyerium, & Sprutium, quadringentos milites sub signis habituros, & novorum idcircò militum complemento cohortes suas firmaturos credidisent Franci, ut illud prædicti Cardinalis legati pro certo ducerent, electis circiter ducentis, anno 1657. mense Septembri à Flandriæ ordinibus conscriptis, & Ostendam immissis illud esse promissum cohortium supplementum ipsis indicatum fuit.

Cumque ab exploratoribus recentem in oppidum militem venisse inaudissent, certissima sibi omnia persua-

*milites imponendi sunt, tormento bellico exploso, tamquam confectæ rei signo, & nautâ quodam ex oppido misso, quo prædictæ suæ Majestati securius locus addicatur, portum ingrediantur.*

*Vt Dominus de Raminiacq; tamquam militaris campi (ut vocant) Mareschalcus, juxta regios codicillos, illos septingẽtos aut octingentos milites ducat, statimque ut in portu fuerit, Tribuno Spindelerio ducentorum millium florenorum summam tradat, tam militibus, quam militum ductoribus, qui rem confecerint, distribuendam.*

*Vt prædicti septingenti aut octingenti viri in prædictum locum sine morâ intromittantur, militaribus munijs in supradictæ suæ Majestatis obsequium cum ijs, qui opus aggressi fuerint, functuri, & à præfatis Domino Raminiacquio & Spindelerio ducendi.*

*Vt absolutam, prædicti oppidi, & adjacen-*

*jacentium munimentorum præfecturam gerat Tribunus Spindelerius, donec sua prædicta Majestas alia quadringenta florenorum millia in manus Spindelerij numeranda, & tam illi, quam alijs confœderatis operis auctoribus distribuenda in oppidum miserit, atque ut tunc prædicto Raminiacquio pro suâ prænominatâ Majestate locum tradat Spindelerius.*

*Vt omnes prædicti oppidi cives in Catholica Apostolica Romana fide conserventur, sine ullius templi, vel hæreticorum, vel heterodoxæ congregationis admissione.*

*Vt omnes præfati oppidi cives à suâ Majestate in omnibus privilegijs, juribus & immunitatibus à Catholico Hispaniarum Rege in præsens concessis conserventur, & bonorum ac mobilium suorum, & quæcumque ad eos pertinent, tam extra, quam intra præfati oppidi districtum, singuli cives proprium dominium retineant.*

*Vt omnes hi Articuli de puncto ad punctum publicari, atque præfati oppidi civibus legenda, in omnibus loci angulis, & ad curiam, statim ac res ad opus deducetur, præfatæ suæ Majestatis nomine proponi, & affigi queant.*

*Vt omnes operis Auctores à præfato Spindelerio nominandi, in Galliam, ad loca Francicæ Coronæ subjecta, liberam habeant secedendi facultatem, ibique omnium, tam quæ imposita, quam quæ umquã subditis imponenda sunt, vectigalium & tributorum immunes degant. A recipiendis militibus, & ab excubijs, tam nocturnis, quam diurnis, in limitaneis locis perpetuò sint exempti. Quibus privilegijs & immunitatibus, tam eorum utriusque sexus liberi, quam nepotes ab operis hujus authoribus procreati, fruantur.*

*Vt si Hispani & inimici domos, villas, aut prætenti operis authorum bona quævis in Belgio demoliantur, incendant, aut destru-*

*destruant , omnia hæc reparentur atque in integrum, quam primum prædicta sua Majestas loca & oppida, in quorum ditionibus prædicta bona fuerint , suæ subjecerit potestati, ex ærario restituantur, nisi prædictos authores , viduas eorum , & liberos, æquivalentibus bonis compensare prædictæ suæ Majestati potius visum fuerit.*

*Vt præfati operis authores functionum dignitatumque in Franciæ Regno , subiectisque illi regionibus sint capaces , utque illis in hunc finem litteræ , quibus in regni indigenas adsciscantur, à Rege subscriptæ concedantur.*

*Vt demùm sua Majestas ultra sexcenta florenorum millia , de quibus jam mentio facta est, ducenta insuper millia Ioanni Gerardo, aut cui is voluerit, tradat. Vtque hæc Regia Majestas suâ syngraphâ firmet, cum sine illa rem perficere Authores non queant.*

EXEMPLAR

REGII DIPLOMATIS.

Charo & perdilecto noſtro, Domino Aumontio, Franciæ Mareſchalco, nobis à conſilio ſtatus, ordinis noſtri equiti, cuſtodum corporis noſtri præfecto, noſtrorum, civitatis, caſtri, & ditionis Bononienſis Gubernatori, ſalutem.

CVm ab aliquibus Coronæ noſtræ benè affectis, de nonnullis inſtructi ſimus ſtrategematis cujuſdam rationibus, cujus proſper eventus

impendas, belli commeatum & annonam, omniaque ad rem necessaria expediri cures, cum rei authoribus, de remuneratione tam eorum, quàm omnium, quos ad opus impenderint, ad quantamcumque pecuniæ summam illa ascenderet, secundum quod obsequij nobis præstandi quantitati convenire censueris, convenias, transigas, & signes omnes obligationes, promissiones, scripta, ad dictæ remunerationis & executionis omnium, quæ tu expedire judicaveris, securitatem præstandam, ex nobis, hæc faciendi omnem facultatem, authoritatem, & speciale mandatum damus; tibi per has supradictas, & Regiâ fide, acceptum, firmum ac stabile habituros, & executuros, atque exequi curaturos, accuratè, & inviolabiliter, quodcumque per te decretum, conventum, ac promissum

dum Simonis Sprutij cohortem nec-dum Ostendam venisse, sed brevi venturam, atque statim inde diem rebellioni statuendum esse prætenditur.

Et cùm, sicut suprà narratum est, tres illos centuriones, Hornium, Snyerium, & Sprutium, quadringentos milites sub signis habituros, & novorum idcircò militum complemento cohortes suas firmaturos credidisent Franci, ut illud prædicti Cardinalis legati pro certo ducerent, electis circiter ducentis, anno 1657. mense Septembri à Flandriæ ordinibus conscriptis, & Ostendam immissis illud esse promissum cohortium supplementum ipsis indicatum fuit.

Cumque ab exploratoribus recentem in oppidum militem venisse inaudissent, certissima sibi omnia persua-

ſuadentes, aliquot florenûm millia, militibus iſtis in ſupplementum adſcribendis, Spindelerio facilè ſolverunt. Sprutij demùm cohorte non plurium, quàm octodecim omninò virorum numero, Oſtendam ingreſsâ, legatis illis per fidos nuncios, cohortem centum & viginti capitibus conſtantem adveniſſe relatum fuit. Quapropter & illi ultrà de re inquirere ſuperſederunt.

Advenerat jam tempus, quo cum Stapinio Spindelerius, nihil vltrà diſferre cùm poſſent, urgentibus ijs, qui pro Cardinale agebant, quartum Maij diem præſtituerunt, eò quòd pridie encœnia Brugis cùm agerentur, multi illuc militum ductores, & cives profecturi eſſent, quam cùm prædicti Cardinalis legati optimam cenſerent occaſionem, & Aumontium maturè adverterent, Auſtria-

cum

cum quoque Sapinius mense Aprili accessit.

Qui communicato cum Marchione Caracena consilio, ad undecimum diem, ut hâc ratione, ipsâ fictæ rebellionis nocte, annona, & commeatus Gravelingam induceretur, differendum decrevit.

Et quamvis nullam dilationem, quin Aumontius tertià die Maij ad portum adfuturus, fraudem suspicaretur, fieri posse Stapinius judicaret; ut aliam tamen apparentem morandi causam excogitaret, qui toties distulisset, ab Austriaco jussus est.

Etsi verò maximam hîc difficultatem sentiret, ipsis tamen Calendis Maij Gandavum veniens, ut indè ad Spindelerium Slusam iret, Aumontium cum magna militum manu naves conscendisse, & maritimæ oræ providendum Flandriæ ordines à Carolo

rolo Campio admonitos esse ex ipsis intellexit.

Cumque ducentorum electorum subsidio hanc ob causam Ostendam firmassent, istum dilationi prætextum sumpsit, & Spindelerij filium cũ litteris quasi Ostendâ, Confœderatorum nomine scriptis, Slusam misit, significans Flandriam, eò quòd tam manifestè naves conscendisset Aumontius, totam turbari, quadringentos insuper electos cum turma equitum Ostendam inductos, post sex tamen dies, quòd ad eum terminum conscripti essent, certò discessuros: Aumontium adeò, ut ad undecimæ diei noctem, quem conficiendo strategemati constituerant, operiri velit, sese postulare.

Litteris his paucarum horarum spatio Slusam allatis & à Mazarini legatis, quid conjurati decrevissent,

Spin-

Spindelerij rogatu expectantibus, per quendam Flissingâ missis ad Aumontium, ille ad undecimam se expectaturum, & longius in mare, ne à terra conspici possit, discessurum respondit.

Responsum istud Austriaco, ut ad illud tempus sufficientes adversus hostem copias submitteret, Stapinius indicavit.

Porrò nobiles duos, quibus maximè fidebat, Monetum de Iuliet, olim equitum turmæ, nunc prætoriæ Mazarini præfectum, & Fontenæum bellicarum machinationum peritum, ejusdem prætoriæ legatum, Mazarinus cum expressis mandatis dimiserat, ut hi Ostendam cum Spindelerio intrarent, Gubernatorem caperent, Hispanorum stationes invaderent, & omnibus rebellionis actibus interessent; Aumontio etiam man-

mandans, ut, cum alter eorum confectæ rebellionis oculatus testis adesset, alter scripto assereret, ipse plenam omnibus fidem adhiberet.

Duos itaque hosce nobiles cum Spindelerio, octavâ Maij, Middelburgo in Flandriâ, curru accersiri fecit Stapinius, Roberto Mulebecio, industriæ & notæ famæ viro curam demandans: qui cum illis ad Ostendam venit, quo eos, admonito prius Gubernatore, accessit, & in urbem introduxit Stapinius.

Vt vero, quam Francis persuaserant, ingrediendi, ob Præfecti vigilantiam, sentirent difficultatem, advenientibus illis, Hispanus quidam signifer stationem observabat, qui eos, unde, qui, quò tenderent, ubi hospitarentur, aspere percunctatus, ad responsum Stapinij, urbis Præfectum adire jussit, cumque paululum pro-

cessis-

cessissent, alter Hispanus eadem inquisivit, eosque non modico terrore affecit: verùm pro eis respondente Stapinio, ad ædes cujusdam affinis ejus declinare permissi sunt; quas cum subintrassent, positis humi genibus, quod tam feliciter Hispanorũ manus evasissent, summas Deo gratias egerunt.

Tunc igitur urbis Præfecto, tempus esse, totam rem centurionibus Hornio, & Snyerio indicandi, dixit Stapinius, & exacto ab illis secreti juramento, quæcumque eorum nomine acta fuerant, ab Austriaco Principe ita mandata esse indicatum est, ipsosque debere etiam prefatos Francos convenire, & asserere se illos esse, qui rebellionem suscitarent, atque oppidum traderent.

Tanta verò hi duo egerunt dexteritate, ut plenissimè gavisi, & securi

fuerint Franci. Quos, ut magis in fraudem inducerent, omni illo tempore, quo Ostendæ fuerunt, non alio, quam si ipse Cardinalis fuisset, honore coluerunt, ac vino cibisque exquisitissimis recrearunt, & flexis quotidie genibus salutem Franciæ Regi, Cardinali, & Aumontio precati biberunt; ita ut omnem vel minimam suspicandi rationem Spindelerius, Stapinius, Winterius, ceterique conjurati sustulerint: & tantò quidem magis, cùm centuriones, Hornius, Snyerius, & Sprutius, cum cohortibus suis, quarum singulæ ultra centum militibus constabant, præter domum, in qua latebant Franci, transirent, ita ut illis summo cordis gaudio numeratis, duo Franci omnia prospera esse Aumontio asseruerint.

Nonâ Maij ad vesperam Marchionis Caracenæ mandatum, ut undecimæ

imæ diei nocte ſtrategema fieri ſineret, urbis Præfectus accepit, cumque eodem veſpere trecenti quinquaginta Hiſpani ex legionibus tribunorum Fortadi & Bonifacij, cum alâ Megenæ legionis, & ſex equitum turmis Leffingam adventuri eſſent, illos noctu in urbem admitteret, & cum illis hoſtem operiretur.

Eodem die ſummâ Francorum exultatione, curante Stapinio, dimiſſum fuit electorum ſubſidium ac per fidum aliquem nuncium Sluſam, & inde ad claſſem naviculâ properantem, duo præfati nobiles Aumontiū certiorem effecerunt, atque ut nocte undecimæ diei paratus eſſet, rogaverunt, quibus ille non defuturum ſe, ſed horam avidiſſimè præſtolari reſpondit.

Sed Gubernator Oſtendanus miſſa à Marchione Caracena ſubſidia

ſecuritati ratus non ſufficere, nonæ diei nocte ſtrategema inchoari, niſi duo militum millia haberet (Stapinio nequidquam obteſtante) non ſe permiſſurum aſſeveravit.

Deſperato jam ſucceſſu, imò & horas aliquot de opere dimittendo cogitanti Stapinio, nova, quâ Aumontium ad decimum tertium menſis ejuſdem moraretur, occurrit ratio, ut decimo ſcilicet pleno die, motis tympanis, & ſignis explicatis, illi trecenti quinquaginta Hiſpani urbem inducerentur, utque juxta domum, in qua Franci erant, prætereuntes, ab his è feneſtrâ conſiderari, ac numerari poſſent. Quod & factum eſt.

Et hoc à Cardinale miſſos, cùm non parùm afflixiſſet Stapinius, Hornius, Snyerius, Sprutius, & Winterius, illis diverſo ſinguli tempore Hiſpanos

panos ad decimam tertiam tantùm remansuros, quum generalem (ut vocant) commeatum Gravelingam induceret, & Franconatum ne agris, utpote ab onere hoc redemptis, damnum facerent, intra urbem recipiendos curasse referebant.

Hornius insuper autographas litteras, quibus necessariò eis decimâ tertiâ pergendum contineretur, domi Gubernatoris se vidisse, Francis adstruebat, fidem eò facilius præbentibus, quod sine impedimentis Hispanos viderent.

Litteras itaque decimâ datas, & à Spindelerio, Stapinio, & Winterio subscriptas, ad Aumontium Franci dedêre, quibus ut in eam noctẽ, quæ decimum tertiũ diem sequitur, ob allegatas rationes differretur, plurimum rogabant, & multa de trium centurionum & con-

fœderatorum fide, atque constantiâ admiscentes, petebant, ut quamprimum ad classem appulisset navigium, quod hac de causa Slusâ solverat, ex Anglicæ classis legati nave quatuor horis demisso vexillo, & duorum explosione tormentorum signum ederetur.

Nuncius equo celerrimè Slusam profectus, illic piscatoriam scapham conscendens, valido subsolano usus, intra breve spatium Aumontium reperit, qui nihil moratus, petitum signum, duobus illis Francis & Spindelerio cum conjuratis summopere lætis, exhiberi curavit.

Et postridie Slusâ reversus idem nuncius litteras eadem scripto firmantes retulit, quibus unà summo sibi gaudio esse, ita Hispanos inducendo Gravelingam commeatu impeditos, significabat Aumontius; quoniam hac ratione omnibus illinc remotis Hispanorum

norum copijs, Ostendanum strategema certissimè succederet, adeoque Caleti, & Mardicæ Præfectis, ne quid in eos molirentur, se mandasse addebat.

Stapinius interim nuncio, qui postero manè Bruxellis futurum se spoponderat, ad Marchionem Caracenam dimisso, Gubernatoris voluntatem patefecit, majorem scilicet eum expetere militum numerum, ne tanti momenti civitatem discrimini exponat, & rationem, quâ ad decimam tertiam, sine ullâ doli suspicione retardaretur Aumontius, inventam esse, atque instantissimè, ut Præfecti postulatis annueret, sese obsecrare. Annuit postulatis Caracena, & majores copias subsidio misit.

Quod cùm advertisset Stapinius, undecimâ Maij primo diluculo, Aumontium admonendum censens, Slu-

ſis ad eum nuncium deſtinavit, rogans, ut quoniam indubitatus decimo tertio medio die Hiſpanorum eſſet diſceſſus, navales ſocios ſummos Anglicarum navium malos conſcendere, atque Hiſpanorum diſceſſum notare jubeat, & eo viſo, ſignum quo rem proximâ nocte fieri poſſe conſtet, dare velit.

Nuncius hic tempeſtivè appellens Aumontium tanto perfudit gaudio, ut illi iteratis oſculis excepto, & quatuor aureis donato, multa pollicitus fuerit, atq; ferream plenam auro conjuratis diſtribuendo arcam oſtentarit.

Auxerunt inde gaudium, Hiſpanos ſe abeuntes vidiſſe referentes, ex Anglicâ claſſe ſocij navales. Quo facto, uti in ſignum convenerat, parvam bellicam navem albo Gallico apluſtri, à prorâ & puppi inſignem, juxta portum

tum Ostendanum misit.

Stapinius paucis antè diebus Gubernatori proposuerat, ipsum prætentæ rebellionis nocte, aut alium, qui ejus personam gereret, in speciem captivum duci oportere. At verò, cùm illud in se ipso permittere nollet, Spindelerium, sociosque ejus valde anxit.

Cui ut maturè prospiceret, Marchionem Caracenam, quintâ, & octavâ Maij datis litteris rogaverat Stapinius, ut suprà nominatum Ognatum, tamquam ad conficiendum facinus peridoneum, & totius negotij ex Spindelerii captivitate conscium, Bruxellis mitteret.

Atque is à Marchione Caracena noctu accersitus, & uno die Bruxellis Ostendam perveniens, magnâ conjuratos omnes lætitiâ cumulavit, eò magis, quòd mandata afferret, quibus Grimbergensis Comitis equitum tur-

 ma

ma una, quam Brugis inveniebat, Blanckenbergam destinabatur, ulteriora ibidem jussa præstolatura; ibique ex Fortadi & Bonifacij legionibus quadringentos, & quinquaginta Hispanos inveniens, eos Leffingam tendere jussi, Ostendani Gubernatoris imperium illic recepturos.

Tunc Ognato, quòd Gubernator pro Bergasio creatus, & equestri Sancti Iacobi habitu donatus esset, in speciem aggratulatus Stapinius, strategema exposuit. Ad quod ille, ut tantum hosti detrimentum inferret, omnem libenter operam addixit.

Et Brugas reversus, cum decimo tertio manè Ostendæ adfuisset Ognatus, ut omnia ad fictam rebellionē expedirentur, decretum fuit, eo vel maximè, quòd circa meridiem Præfectus litteras à Marchione accepisset, quibus nunciabat majores suppetias, sexcentos

tos

tos scilicet equites, Leffingæ ad ejus nutum subsistere, nec non quadringentos ex Colomnæ legione Germanos, insuper trecentos ex Megarâ Walones; cum quibus ut stratagema adoriretur, in mandatis habebat.

Gubernator itaque, Ognatus, & Stapinius Magistratui horâ decimâ convocato, & arcani sacramento obstricto, rem totam detexerunt, Regis nomine mandantes, ut post clausas oppidi portas, singulas civium domos adeuntes, ne quis, etsi scloporum, fistularum, & tormentorum bellicorum sonum ac tympana Francico motu strepentia, Franci æque Regi, Spinderio, & pecuniæ acclamantium voces audiret, aut fenestram aut januam illâ nocte aperiat, singulis sub pænâ capitis inhibeant; quandoquidem omnia in Catholici Regis obsequium cederent, & ut singuli præparatis armis ad campanu-

panularum cantum, ad centurionis domum prodirent, ulteriora mandata recepturi. Præcipiebatur insuper, ut Senatores omnes eâ nocte ad primam monitionem conventuri vigilarent, quodque duo nobiles Franci de civitate Spindelerio traditâ, ad ipsos orationem habituri essent, & juramentum exacturi, quo se illi, quem Spindelerius in dominũ assumeret, fidos fore sponderent, quodque illæsâ conscientiâ illud præstare possent, cum Franciæ Regem fictè tantum, & in speciem electurus Spindelerius, omnino pro Rege Hispaniæ staret.

Inter hæc publicæ, populo futuri ignaro, institutæ preces, & solemni Sacro pro fælici strategematis eventu supplicatum est.

Statim inde carceris custodem admonuerunt, ut nocte illâ carcerem, quasi Francis & Anglis omnibus liberandis ape-

aperiret, quod ex illis duo in mare, ad Anglicæ classis legatum mittendi essent, quod in his omnibus propter suæ Catholicæ Majestatis obsequium indemnis haberetur.

Magistratu jam civium singulos admonente, urbis Præfectus, universos præsidij, civiumque centuriones admonuit, omnes inde tam Hispanorum, quam Walonum centuriones suis singuli, quid agendum foret, sedulò inculcarunt, aliquos nempe ex Hispanis capiendos, & suam Walonum singulis partem quam agerent, esse distribuendam.

Duo illi Franci plurimum ab omnibus hâc nocte animati, arma sibi à Cardinale missa, magnum scilicet ferrearum, quas penes se habere solent, numerum fistularum, & acutissimas sicas, Hispanos omnes occisuri expediebant; quæ conjuratis urbis Præfectum captu-

capturis, fidemque, & summam fortitudinem pollicentibus distributa fuêre.

Horâ autem decimâ vespertinâ, suprà nominati trecenti quinquaginta Hispani, ac trecenti milites ex Megenij Comitis, cum quadringentis ex Colomnæ legione Germanis, per mœnia in urbem introducti, per templa distributi sunt, Patribus Oratorij, & Capucinis, ut decebat, præmonitis, ne contradicerent.

Harum quoque auxiliarium copiarum ductores, suis quisque militibus, quod agebatur strategema, indicaverant; nec non omnia tam prudenter, tamque feliciter administrata sunt, ut nulla vel minima mali suspicio suboriretur.

Præterquam quod, cùm decretum fuisset, ne equi in urbem cum subsidiarijs inducerentur, Hispanarum ta-

men

men copiarum ductores in equis portam accesserunt, & quamvis, ne ullus ingrederetur, vetuisset Gubernator, ipso tamen absente, dum per illum subsidiariæ copiæ in præfata templa adducuntur, famuli eorum ascensis equis urbem intrarunt, & cum tumultu ad hospitia singuli properantes, præter domum, in quâ Franci erant, transierunt, qui hoc tumultu audito vehementer exterriti, & sese proditos rati sunt. Quamobrem Spindelerius, Stapinius, ceterique conjurati non parum anxij totum jam strategema eversum æstimabant.

Verum Divinâ sic providente clementiâ inito consilio, Winterius, ex fenestrâ Gubernatorem, & Majorem in urbe aciei instructorem, aliosque eorum ministros, in equis civitatem lustrantes se vidisse illis retulit, abijsseque eos & brevi quieti se daturos, ac pluri-

fœderatorum fide, atque constantiâ admiscentes, petebant, ut quamprimum ad classem appulisset navigium, quod hac de causa Slusâ solverat, ex Anglicæ classis legati nave quatuor horis demisso vexillo, & duorum explosione tormentorum signum ederetur.

Nuncius equo celerrimè Slusam profectus, illic piscatoriam scapham conscendens, valido subsolano usus, intra breve spatium Aumontium reperit, qui nihil moratus, petitum signum, duobus illis Francis & Spindelerio cum conjuratis summopere lætis, exhiberi curavit.

Et postridie Slusâ reversus idem nuncius litteras eadem scripto firmantes retulit, quibus unà summo sibi gaudio esse, ita Hispanos inducendo Gravelingam commeatu impeditos, significabat Aumontius; quoniam hac ratione omnibus illinc remotis Hispanorum

norum copijs, Ostendanum ſtrategema certiſſimè ſuccederet, adeoque Caleti, & Mardicæ Præfectis, ne quid in eos molirentur, ſe mandaſſe addebat.

Stapinius interim nuncio, qui poſtero manè Bruxellis futurum ſe ſpoponderat, ad Marchionem Caracenam dimiſſo, Gubernatoris voluntatem patefecit, majorem ſcilicet eum expetere militum numerum, ne tanti momenti civitatem diſcrimini exponat, & rationem, quâ ad decimam tertiam, ſine ullâ doli ſuſpicione retardaretur Aumontius, inventam eſſe, atque inſtantiſſimè, ut Præfecti poſtulatis annueret, ſeſe obſecrare. Annuit poſtulatis Caracena, & majores copias ſubſidio miſit.

Quod cùm advertiſſet Stapinius, undecimâ Maij primo diluculo, Aumontium admonendum cenſens, Slu-

ſis ad eum nuncium deſtinavit, rogans, ut quoniam indubitatus decimo tertio medio die Hiſpanorum eſſet diſceſſus, navales ſocios ſummos Anglicarum navium malos conſcendere, atque Hiſpanorum diſceſſum notare jubeat, & eo viſo, ſignum quo rem proximâ nocte fieri poſſe conſtet, dare velit.

Nuncius hic tempeſtivè appellens Aumontium tanto perfudit gaudio, ut illi iteratis oſculis excepto, & quatuor aureis donato, multa pollicitus fuerit, atq; ferream plenam auro conjuratis diſtribuendo arcam oſtentarit.

Auxerunt inde gaudium, Hiſpanos ſe abeuntes vidiſſe referentes, ex Anglicâ claſſe ſocij navales. Quo facto, uti in ſignum convenerat, parvam bellicam navem albo Gallico apluſtri, à prorâ & puppi inſignem, juxta portum

tum Ostendanum misit.

Stapinius paucis antè diebus Gubernatori proposuerat, ipsum prætereuntæ rebellionis nocte, aut alium, qui ejus personam gereret, in speciem captivum duci oportere. At verò, cùm illud in se ipso permittere nollet, Spindelerium, sociosque ejus valde anxit.

Cui ut maturè prospiceret, Marchionem Caracenam, quintâ, & octavâ Maij datis litteris rogaverat Stapinius, ut suprà nominatum Ognatum, tamquam ad conficiendum facinus peridoneum, & totius negotij ex Spindelerii captivitate conscium, Bruxellis mitteret.

Atque is à Marchione Caracena noctu accersitus, & uno die Bruxellis Ostendam perveniens, magnâ conjuratos omnes lætitiâ cumulavit, eò magis, quòd mandata afferret, quibus Grimbergensis Comitis equitum tur-

ma una, quam Brugis inveniebat, Blanckenbergam destinabatur, ulteriora ibidem jussa præstolatura; ibique ex Fortadi & Bonifacij legionibus quadringentos, & quinquaginta Hispanos inveniens, eos Leffingam tendere jussi, Ostendani Gubernatoris imperium illic recepturos.

Tunc Ognato, quòd Gubernator pro Bergasio creatus, & equestri Sancti Iacobi habitu donatus esset, in speciem aggratulatus Stapinius, strategema exposuit. Ad quod ille, ut tantum hosti detrimentum inferret, omnem libenter operam addixit.

Et Brugas reversus, cum decimo tertio manè Ostendæ adfuisset Ognatus, ut omnia ad fictam rebellionē expedirentur, decretum fuit, eo vel maximè, quòd circa meridiem Præfectus litteras à Marchione accepisset, quibus nunciabat majores suppetias, sexcen-

tos

tos scilicet equites, Leffingæ ad ejus nutum subsistere, nec non quadringentos ex Colomnæ legione Germanos, insuper trecentos ex Megarâ Walones, cum quibus ut stratagema adoriretur, in mandatis habebat.

Gubernator itaque, Ognatus, & Stapinius Magistratui horâ decimâ convocato, & arcani sacramento obstricto, rem totam detexerunt, Regis nomine mandantes, ut post clausas oppidi portas, singulas civium domos adeuntes, ne quis, etsi sclopetorum, fistularum, & tormentorum bellicorum sonum ac tympana Francico motu strepentia, Franci æque Regi, Spindelerio, & pecuniæ acclamantium voces audiret, aut fenestram aut januam illâ nocte aperiat, singulis sub pænâ capitis inhibeant; quandoquidem omnia in Catholici Regis obsequium cederent, & ut singuli præparatis armis ad campanu-

panularum cantum, ad centurionis domum prodirent, ulteriora mandata recepturi. Præcipiebatur insuper, ut Senatores omnes eâ nocte ad primam monitionem conventuri vigilarent, quodque duo nobiles Franci de civitate Spindelerio traditâ, ad ipsos orationem habituri essent, & juramentum exacturi, quo se illi, quem Spindelerius in dominũ assumeret, fidos fore sponderent, quodque illæsâ conscientiâ illud præstare possent, cum Franciæ Regem fictè tantum, & in speciem electurus Spindelerius, omnino pro Rege Hispaniæ staret.

Inter hæc publicæ, populo futuri ignaro, institutæ preces, & solemni Sacro pro fælici strategematis eventu supplicatum est.

Statim inde carceris custodem admonuerunt, ut nocte illâ carcerem, quasi Francis & Anglis omnibus liberandis

ape-

aperiret, quod ex illis duo in mare, ad Anglicæ classis legatum mittendi essent, quod in his omnibus propter suæ Catholicæ Majestatis obsequium indemnis haberetur.

Magistratu jam civium singulos admonente, urbis Præfectus, universos præsidij, civiumque centuriones admonuit, omnes inde tam Hispanorum, quam Walonum centuriones suis singuli, quid agendum foret, sedulò inculcarunt, aliquos nempe ex Hispanis capiendos, & suam Walonum singulis partem quam agerent, esse distribuendam.

Duo illi Franci plurimum ab omnibus hâc nocte animati, arma sibi à Cardinale missa, magnum scilicet ferrearum, quas penes se habere solent, numerum fistularum, & acutissimas sicas, Hispanos omnes occisuri expediebant; quæ conjuratis urbis Præfectum captu-

men copiarum ductores in equis portam accesserunt, & quamvis, ne ullus ingrederetur, vetuisset Gubernator, ipso tamen absente, dum per illum subsidiariæ copiæ in præfata templa adducuntur, famuli eorum ascensis equis urbem intrarunt, & cum tumultu ad hospitia singuli properantes, præter domum, in quâ Franci erant, transierunt, qui hoc tumultu audito vehementer exterriti, & sese proditos rati sunt. Quamobrem Spindelerius, Stapinius, ceterique conjurati non parum anxij totum jam strategema eversum æstimabant.

Verum Divinâ sic providente clementiâ inito consilio, Winterius, ex fenestrâ Gubernatorem, & Majorem in urbe aciei instructorem, aliosque eorum ministros, in equis civitatem lustrantes se vidisse illis retulit, abijsseque eos & brevi quieti se daturos, ac pluri-

plurimum se tumultu illo turbatos fuisse dicentibus Francis, generosissimo allato vino terrorem pepulerunt, & Franciæ Regi, Cardinali, atque Aumontio fausta omnia precati biberunt, inviolatæ fidei, securitatisque protestatione Francos circumvenire adnitentibus cunctis.

Duodecimâ demùm noctis horâ centuriones Hornius & Snyerius splédidè armati, suorum fortissimos, inter quos, & duos ex Meganâ legione militiæ expertos centuriones Feurium, & Egliurn, secum ducentes, ad duos illos Francos se contulerunt.

Hi ergò simul cum Spindelerio, ejusque filio, Stapinio, & ejus affini, & alijs quibusdam civibus, viginti omnes numero, paullò post primam noctis horã, ex Stapinij dicti affinis domo, in qua ad illud tempus delituerant Franci, magnos præ se animos ferentes domum

domum Gubernatoris, grandes ex ferro vectes, ſecures, & malleos, ut oſtia, ſi opus eſſet, vi effringerent, ſecum habentes; cum prædictis Francis proceſſerunt.

Cùm hi ad excubitorem veniſſent, ille arma conclamare, & quæ manus iſta eſſet, rogare cæpit. Cui Stapinius deputatos à Franconatu eſſe reſpondit, & propiùs accedentes excubitorem anteà inſtructum collo arripientes, ne ultrà clamaret, minis compeſcuerunt.

Atrium indè, in quo candela ardebat, ingreſſi, facibus aliquot accenſis, rectà ad cubiculũ progreſſi, Ognatum in lecto aureâ Sancti Iacobi cruce indutum, palliumque ejus cruce ſignatum invenerunt, ſtatimque prædictus Monetus ſtricto gladio Præfecti collum invadens, vitam ſe

illi, si vel minimum resisteret, ereptu-
rum minabatur.

Fictus verò Gubernator, quasi è somno evigilans, magnis clamoribus, ut se confoderent, petebat, cui Monetus, Nescis, inquit, dominum meum Mareschalcum Aumontium undecim jam dies circa littus tuum hæsisse, ut te, ô maledicte Hispane, captivum duceret, & me huc idcircò misisse? Mox igitur, aut vitæ gratiam ora, aut morere. At Spindeletius cum centurionibus Megenæ legionis eum retinentes, Hic nobis, aiebant, servandus, & Mareschalco Aumontio tradendus est: nam cùm multas Brugis habeat pecunias, centum florenorum millibus redimi potest; quos eo occiso amitteremus.

Ognatum ergò vitæ & gratiæ locum, tam sibi, quàm uxori, liberis, & bonis suis mobilibus petentem consolari

ſolari Monetus, atque ab Aumontio, utpotè benigno Principe, non malè eum excipiendum dicere, & perpetuam fortunæ inconſtantiam proponere cæpit, ſed portarum atque armamentarij claves ſtatim tradendas ſubjunxit. Ad quæ Ognatus multa queſtus, clavem ferreæ cuidam arcæ aptatam extraxit, indeque ablatis clavibus omnibus, & præfato Mulebekio traditis, Monetus Gubernatorem cum quibuſdam ejus miniſtris, militum ſtationi in cuſtodiam tradendum manu trahens Præfecti domo exceſſit.

Et quatuor alijs relictis in eâ excubitoribus, cum reliquis conjuratis, & capto Præfecto in novum forum procedentes, in duobus ad latus viculis ducentos circiter & quinquaginta bombardis omnes, & ſclopis à Præfecto Sprutio inſtructos invenerunt.

Quibus omnibus in duas partes à Spindelerio, & utroque Franco distributis, & ferreâ fistulâ, ut in signum præstitutum fuerat, explosâ, altera ad stationem in foro, altera in eam, quæ ad navalem portam excubabat, stationem, magnis clamoribus procurrerunt: ubi quinquaginta fermè, sed sine telo, utrimque datis ictibus utrâque statione potiti sunt.

Mox inde Francis, qui apud Gubernatorem morabantur, & à pugnâ aliquantulum distabant, ambas stationes superatas esse relatum est: & num Hispanorum multi occubuissent, interrogantibus, sex letaliter læsos esse responsum est, atque an ad nosocomium duci possent petitum. Quod Franci permisere. Omnibus sine morâ utriusque custodiæ exarmatis Hispanis, in eâ, quæ ad navalem portam erat, Gubernator captivus collocatur, armaque

que omnia in unum acervum ad januam, ut à transeuntibus viderentur, in trophæum victoriæ reposita, ijsque à Moneto, ejusque socio inspectis, centum Walonum manus quadratâ acie in foro, quæ ad subitos casus parata esset, & civium congregationem impediret, disposita fuit.

Tum unus cum Spindelerio mænia obiens Francus excubitores mutavit, & Ludovicum in tesseram dedit. Atque in forum reversi, dum belli consilium habent, centurio Snyerius, qui ad occidentalem portam excubabat, tam portam, quam stationem conjuratis Walonibus firmatam pro Spindelerio, & Francis se tenere dictum venit.

Tunc itaque Francico pulsu tympana movenda, & crebro Spindelerio, ejusque pecuniæ faustis vocibus acclamandum esse visum fuit, & cum ad

eminentem, qui mare reſpicit, locum tormentis explodendis præparatum perveniſſent confœderati, magno ſtraminis acervo incenſo, & quinque tympanis Francico ſono pulſatis, Francicoque in mœnibus vexillo poſito, ſignum, quod promiſſum erat, ediderunt.

Aumontius viciſſim hæc advertens; ex legati Britannicæ claſſis navi ſex tormenta explodi juſſit, incredibili duobus illis gaudio delibutis.

Parvâ indè morâ in alterum ſignum duo majora tormenta ex præfato tormentario ſuggeſtu ambo Franci exoneranda curarunt: quibus totidem Aumontius è mari reſpondit.

Sed unum præ cæteris Francicæ vanitatis ſpecimen hîc præteriri ſilentio non debet. Monetus Stapinio & centurione Feurio comitantibus, Hiſpanum

num quendam centurionem, cui Barrio cognomen, & Fretinium ejuſdem nationis ſigniferum (hunc in finem eò deſtinatos) in viâ offendit, & quinam eſſent rogatos, unum poſt alterum cepit captivum: Num, inquiens, Oſtendam Franciæ Regi ſubjectam jam eſſe ignoratis? Ac gratiæ locum petentes exarmavit ambos, & adjecit: Quòd duos ego ſolus hodie Hiſpanorum ductores ceperim, atque exarmaverim, Eminentiæ ſuæ ſcribere debeo.

His peractis Magiſtratum convocari, militari conſilio decretum eſt, & Senatoribus ſtatim convenientibus primum occupans locum Monetus compoſitam atque ornatam ad eos orationem habuit, quâ ſingulos Franciæ Regis imperium petere hortabatur. Iam Regis clementiam, jam Oſtendę præ alijs Europæ civitatibus

futuras opes, & potentiam deprædicabat, indè honeſtiſſima conventionis capita à Rege propoſita eſſe, juxta ſuprà memoratos articulos, quos ibi altâ voce legit, eoſque ab Aumontio ſtatim, ut urbem ingreſſus fuerit, juramento firmandos aiebat, eos viciſſim rogans, ut ſe Spindelerio, quem in Protectorem elegiſſent, fidos fore, atque obtemperaturos jurarent.

Pretori, & Syndico ſubornatis anteà, & juramentum detrectantibus, atquè ex oppido diſcedere, & tempus ad bonorum venditionem ſibi indulgeri rogantibus, duo Franci arma auferunt, ſed duos tamen ad bonorum venditionem annos, atque ad abeundum hebdomadas ſex concedunt. Reliquorum nullo ſacramento abnuente, Monetus tam in eorum,

quàm

quàm Franciæ Regis laudem ornatè, copioſeque dixit.

Statim indè jubent Franci duo, ut per totam urbem Spindelerij, ac Magiſtratûs nomine, ne quis per feneſtram reſpiciat, in plateam prodeat, aut januam aperiat, ſub pœna capitis, ad tympanorum pulſum edicatur.

His per præconem enuntiatis, Senatorum primo, ut coram duobus Francis carcerem aperiat, demandatur, jacentem illic Hiſpanum quendam centurionem multa lamentantem invenerunt, qui Moneto, quis eſſet petenti, cùm Hiſpanum ſe centurionem, illuc eò quòd, dum fori ſtatio invaderetur, reſtitiſſet, à centurione Sprutio amandatum reſpondiſſet, Monetus talia meritum dixit, ſed ab Aumontio clementi, ac benigno principe, poſtero die dimittendum.

Atquè omnibus tam Anglis, quàm Francis captivis ex carcere deſcendere juſſis, Francicæ ditionis jam eſſe civitatem, & libertate omnes ſe donare, ac poſtero manè horà octavâ, Aumontio ingreſſo abituros dixit, & num eorum aliqui ad naves ire velint, percunctatus, duos, qui rei geſtæ ſeriem Anglicæ claſſis legato exponerent, deſtinavit.

Datiſque ſtatim ad Aumontium litteris rebellaſſe Oſtendam, & Francis certò traditam Monetus ſcripſit, ipſum à ſe urbis Præfectum captum, ſe, dum ſtationes, & loca omnia invaderentur, interfuiſſe, Magiſtratum ſacramento adegiſſe, & qui rem confecerint, milites expectare, ejuſque præſentiam ſingulos deſiderare: ſe idcircò rogare ut cum pecuniâ ingredi feſtinet.

Hâc

Hâc epiſtolâ Francicis verborum officijs refertâ, Spindelerio, centurionibus, conjuratiſque reliquis clarâ voce prælectâ, collatis omnes vocibus, *Vivat Franciæ Rex*, læti conclamarunt, ac ſciſcitantibus conjuratis, quid Francorũ Rex ſubactâ Oſtendâ ulterius moliretur, Monetus Franciæ nunquam ſplendidiorem illuxiſſe diẽ, & Cardinalem intra biduum cum quadraginta militum millibus, nedum ad reliqua Flandriæ oppida expugnanda, verum & ad ipſam quoque Hollandiam, ob turpiſſimum, ut aiebat, cum Hiſpanis initum fœdus, caſtigandam, adfuturum jactabat. Ita Francorum levitas ex Oſtendæ intempeſtivo triumpho univerſum Belgium inani ſpe devorabat.

Porrò accerſitis extemplò à Magiſtratu portus curatoribus, mandatum eis fuit, ut cum Francorum alte-

ro

ro bellicarum machinationum perito Fontenæo, & duobus Anglicis nautis ad Aumontium navigarent.

Quamvis autem ad classem Fontenæus appulisset, & omnium, quæ acta essent, meminisset, necdum tamen securus Aumontius scapham remis actam, cum uno ex suis, cui maximè fidebat, nobilibus in oppidum misit, quem horâ sextâ matutinâ in portum appulsum Spindelerius, Stapinius, Planchius, aliàs Winterius cognominatus, felicem gratulati adventum, humanissimè exceperunt. Qui cùm ad primum oppidi munimentum venisset, Spindelerio ejusque pecuniæ, & Franciæ Regi acclamarunt Walones.

Stapinius huic nobili bellicas Hispani Regis naves, magno tormentorum numero instructas, in portu commonstrans, eo ipso die prædam

Au-

Aumontio aliquot myriadum myriadibus æstimandam, sese tradituros addixit. Sed ut cuncta tranquille perseverent, Aumontij præsentiam omnino requiri, & sine morâ promissam militibus pecuniam mittendam esse dicebat.

Inde in urbem progressi, omnes militum stationes, in quibus putatus ille Gubernator, & multi custodiebantur Hispani, inspexerunt, & Magistratum salutarunt, ad quem hic Francus disertè, Mareschalci nomine dixit, omnem satisfactionem, & benignitatem ab eo promittens. Per totam verò civitatem nihil aliud quam Spindelerio, ejusque pecuniæ, & Franciæ Regis fausta precantium voces audiebantur.

Quamprimum hic igitur ad Aumontium reversus prosperrima omnia, & urbem certò rebellasse renun-

nunciavit, omnes Francorum naves ventis vela dedere.

Quod Bergasius urbis præfectus considerans publicæ turris campanulas in signum victoriæ pulsari jussit. Ad quem sonitum, tam cives, quàm subsidiariæ copiæ, ut pridie omnibus significatum fuerat, ad mœnia, & destinata loca tetenderunt.

Quem clangorem Moneto, qui mandata, & epistolas in curia scribebat, admiranti, & quid hoc sibi vellet, interroganti, ad ipsius id honorem, & magno Aumontij desiderio à Magistratu jussum fieri responsum est.

Parvâ inde morâ decem Francicæ naves, in quibus Mareschalcus Aumontius, & multi nobiles erant, portum ingrediuntur. Sed cum ex ijs aliqui in terram, Spindelerium, & suos inclamantes exscendissent, Præfectus

Ber-

Bergaſius, plurimis tormentorum & ſcloporum ictibus in eos agi juſsit, & Francicum vexillum, quod in tormentario ſuggeſtu poſitum diximus, fruſtra Spindelerio, & Stapinio, intempeſtive hoc agi obteſtantibus, ſuâ ipſe manu avulſit, adeoque non à Françis, ut hoſtibus perſuaſum erat, ſed à fidis Catholicæ Majeſtati Miniſtris urbem teneri demonſtravit.

Quinque aliæ bellicæ naves, quarum aliquæ tam magnitudine inſignes, quàm copijs inſtructæ, Britantannicæ claſſis legatum, & multos cum eo centuriones, ac militum ductores vehentes, & portum jam ingredientes, hoc viſo (quod Spindelerius cum Stapinio ſummoperè deplorarunt) retroverſæ ſunt. In quas multa tormenta, ut earum introitum impediret, ne ſibi commiſſam tanti mo-

momenti urbem discrimini daret, explodi jussit Gubernator.

Et cum promissa illa ducenta florenorum millia conjuratis, ut in urbem admitterentur, Franci annumeraturi Spindelerium & Stapinium alibi occupatos vocarent, involantes in eos milites, & Francos ceperunt, & omnem pecuniam diripuerunt: adeò ut ipsi facinoris authores, nihil ex eâ vel videre potuerint.

Aumontius verò cum suis in vada fugiens, atque in aquam collo tenus desiliens, evadere tentabat, sed imminutâ aquâ multi illorum ab equitibus nostris capti, multi aquis hausti, multi occisi sunt: ita ut hàc clade mille circiter & ducenti, tam Franci, quàm Angli cæsi, & capti fuerint. Inter quos ipse Aumontius, Tolonius Raminacquius, & multi præthereá nobiles reperti sunt.

Ante-

Antequam verò portum ingrederetur Aumontius, missâ Caletum celoce, quæ secundo usa subsolano paucis horis iter confecit, Cardinalem, quòd Ostenda Franciçæ Coronæ reipsâ jam subdita esset, certiorem effecit. Ad quem lætissimum victoriæ nuncium Charravius Caleti Præfectus machinis omnibus fælicitati applausit, & novem postridie militibus refertas naves in subsidium misit. Sed illæ captum Aumontium, & Francis ignominiosam cladem edoctæ, unde venerant, reversæ sunt.

Magnæ hinc profectò Divino Numini gratiæ debentur, quod nunc, si unquam aliàs, Mazarino turpissimè decepto, vanissimam hominis superbiam clarissimo argumento humiliavit. Suspiciebantur, & inter mundi prudentes, mentis acie ad res agendas

omnium ſubtiliſſimâ, mortalium ſagaciſſimi, omnis ævi politicorum aquilæ Mazarinus, & Cromwelius ducebantur: ſed ambo, ut injuſtiſſima tentarunt, ita juſtiſſimè eluſi ſunt, & deſpectu quidem tanto majore, quòd incertiſſimâ potiundi oppidi ſpe, totum militiæ ſucceſſum fundaſſet Cardinalis, ſuiſque Franco-furti, & ubique locorum legatis, per unum, quod citò mundus videret ſtrategema, omni ſe Flandria brevi potiturum, & hâc ratione Romanorum Regis electionem impediendam, omniaque ad pacem conſilia diſturbanda eſſe, vaniſsimâ opinione ſcripſiſſet.

Adeò, ut is, qui negotiorum ſcilicet orbem prudentiæ ſuæ oculis emenſus, à multis quaſi politicum quoddam Idolum adorabatur, cùm ſe in fraudem omnium maximam inductum

ctum esse videat, nisi in melius consilia retulerit, irrisam esse vanitatem suam, completam malitiam, & impendens supplicium sentire possit: Et alter, qui contra omne jus, domini sui vitâ ademptâ, imperio usurpato, totam inani spe terram devorare videtur, non prosperandam semper injustitiam, nec, quam hactenùs habuit malorum felicitatem, & scelerum impunitatem cogitet æternaturam.

Quanta verò hinc Mazarino, Cromwelioque ignominia, tanta Ser. Principi Austriaco gloria tribuenda est. Quippe qui non perfunctorie, & quasi eminus hoc negotium obivit, sed nunc suggerendis rationibus, nunc singulis examinandis diligentissimam curam impendens, tredecim mensibus totum strategema omnium maximè unus jussit, incepit, promovit, animavit,

vit, perfecit: ita cælo disponente ut qui armis formidandus in varias mundi plagas exivit vincens ut vinceret, semper etiam consilio superaret. Et superavit planè, cum non tantum hostium dolos in ipsos authores verterit, sed ipsius quoque Cardinalis, qui in arcana procul Regum, Principumque sese intueri gloriatur, ultra viginti autographis literis acceptis, fraudes illuserit, & machinatiores everterit. Nec vero prætereunda magnifica Austriaci Principis in benè meritos hocce in strategemate liberalitas, qui Spindelerium peditum legioni præfecit, & Bockium in Regio Flandriæ Concilio Consiliarium creavit.

Sentitis nunc etiam Franci, quantò vos terror vester Caracena, dum non sensistis, detrimento affecerit, Ostendam tenebatis, Flandriam occupabatis,

tis, Hiſpanos triumphabatis, opinione ſcilicet, & inani perſuaſione, ſed hic non minus conſilio ſolers, quam manu promptus, vanitatem veſtram inſpexit, molimina eluſit, & novâ hâc ſuper ceteras clade cumulavit.


Ite nunc Franci, ſeditioſis Flandris etiamnum credite, rebellionibus cælum terramque commovete, maledictos Hiſpanos Belgio ejicite, & Flandros, ſi ita divis placet, ſtolidos appellate. Et tu Cromweli, centum Iacobæorum millibus Francis invide, & Flandros propitios habe. I nunc, Mazarine, integro, & amplius anno Flandris arcana pectoris tui expone, illorum nutu exercitum move, mitte naves, pecuniam effunde, honores & opes promitte.

Infa-

Infatuavit dominus consilium Achitophel: vidit cogitationes illorum, quia vanæ sunt.

FINIS.




BIBLIOTECA
VITTORIO
3